

EPISTOLA

randum proponam: miram fuisse antiquorum in na
uibus ædificandis, instruendis, armatis celeritatem.
Primo Punico bello classem Duellij imperatoris ab
arbore excisa, LV die nauigasse: ducentas & uiginti
naues effectas diebus XLV contra Hieronē regem.
Secundo Punico bello Scipionis naues, eo instantे
operi, die XLV quām ex syluis detracta materia fue
rat: instructas armatasq; in aquam deductas. Quid
si ex Polybio addidero, Romanos contra Carthagi
nenses septingentas quinqueremes amisisse: Cartha
ginēses eodem bello ad quingentas? Quis id credat?
Nec mirum si hæc fidem non habebunt apud homi
nes nostros, qui & Venetorū quinqueremem unam
admirantur, & tuam totidem ordinū, quæ illam sym
metria superabit, gratulabūdi expectant. Verum de
tuæ maiestatis fide, qui omnem antiquitatem memo
ria tenes, non magis labore, quām de impetranda à
clementissimo principe uenia sum sollicitus, si nos in
tot reficiendis instaurandisq; nauibus alicubi lapsi
fuerimus: qui etiam tuæ maiestatis potius, quām dio
scororum turbulentissima fortunæ tempestate in al
to iactati, fidem & auxilium implorare debeamus.

Vincat tua maiestas ac ualeat.

Lutetiæ Parisiorum V III cal. Septemb.

M D XXXVI.